

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchholtzer, & amico suo charissimo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

famila tuorum Principum laude sapientie & eloquentie excelluit, & res maximas in Germanico imperio consilij rexit. Quare & indolem, et idem decus in tuo auditore præclarum esse existimo. Amabit igitur nostra studia, & propter ea gregi fauebit: hanc ipsius uoluntatem confirmari à te non dubito. Me igitur, & alios qui Reipublicæ mediocriter inserviunt in propagatione literarum, ipsi commendato. Inter quos commendari uolo & N. cuius & natura est excellens, & non tantum ijs uirtutibus ornata, quæ diligentia nostra parantur: sed etiam alijs maioribus, quæ diuinitus in bonis mentibus accenduntur: et eruditio tanta est, ut in utraque lingua, Græca & Latina, eruditam antiquitatem feliciter imitetur: & ad hæc studia adiunxerit Philosophiam, & Ecclesiæ doctrinam. quare eum magno usui & ornamento Ecclesiæ esse spero. Talia ingenia sapientes principes propter utilitatem publicam & eligere & ornare ualde prodest. Bene uale charissime N. Calend. Septembris, 1558.

Reuerendo uiro, D. Georgio Buchholtzer, &c. amico suo charissimo.

S. D. Reuerende uir & amice charissime. Etsi familia meæ mense assidens penè totam occupat: tamen filijs tuis locū tribuissim, si conuictores mei esse

esse uoluissent. Fuit autem Noha saepe mecum. Tibi gratulor à Deo filios donatos esse, quorum ad literas & ad uirtutem egregia est indoles. Ac spero Deum ipsis adfuturū esse, iuxta promissionem: Generatio rectorum benedicetur. De carmine filij edendo, cum typographis fideliter agam. Si stylum in me stringet meus inimicus, fortassis propter doctrinæ ueræ propugnationem respondere cogar. Faciam autem idem quod feci semper: dicam modeste de rebus necessarijs, nec certabo cum eo conuicijs, aut scurrilibus dictis. Studia, mores, uoluntatem utriusq; ita multi sapientes uiri in Germania norunt, ut de his rebus nō sit opus commemoratione. Doleo turbari Ecclesias, & impediri inuocationem, si nouæ rixæ moueantur. Ideo multas iniurias & antea tacitis dissimulaui: & non depellam nunc, nisi graues causæ me scribere cogant. Bene et feliciter ualete. Die 17 Septembris.

A mico cuidam, *P. Ebor II, 152.*

S. D. Pagellas quas attulit Leonhardus, accipi: pro quo munere tibi gratias ago. Ethica cur nō mitteres, non scripsi: sed existimo à Marcello mitti. Gemens hos libellos aspexi, cogitans et de studiorum interitu, & de ferocitate temporum, quæ iam nihil habent nō uerū. Olim barbaries & hominum & doctrinæ obscurauit hæc elegantissima scripta:

B. nunc